



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt III. Coetus de disciplina & dogmatibus: obiecti à Lunensi obices ne  
Synodus absolueretur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1563. Ad agendum de modo ventum est; & inter eos conuenit, oportere operam nauari ad stabiliendas reliquas disciplinæ leges, & in ijs quæ spectabant ad Principes, suauiter procedendum, quandoquidem illorum brachio statim futurum opus erat, quo insculperentur in opere ea quæ à Synodi stylo in scripto fuerant designata. Quamobrem summoperè placuit exemplum Decreti, missum à Pontifice, in quo renouabantur super his iussa Conciliorum Canonumque antiquorum, & adhibebantur paternæ admonitiones odiosorum anathematum loco.

De dogmatibus nondum ibi definitis, spectantibus ad Purgatorium, ad Indulgentias, ad inuocationem Sanctorum, & ad Imagines, perpensum est, multa reperiri in anteaactis Concilijs; aliquid tamen de his dicendum esse, quasi ad prauas consuetudines corrigendas. Præsertim verò de Imaginibus protulit Lotharingus Sorbonæ Decretum, quod ab illis Patribus magnoperè probatum est. Postridie habiti conuentus, Legati \* vnà cum Lotharingo statuerunt de iam ostensis dogmatibus tantummodò agendum esse, ac de ipsis per formam quam diximus. Quare accitis ad se nonnullis Patribus susceptum consilium aperuerunt, & quinque pro quolibet argumento selectis Præsulibus commiserunt vt ipsi vnà cum quinque Theologis paucos intra dies Decreta formarent. Etiam Legati de Synodo tamquam de absoluta scribebant, Lunensis enim indicabat, se moram haud iniecturum. Verùm distantia nauigij à littore, etiamsi modica demonstratur Geometræ decempedà, interdum maxima deprehenditur nautarum mensurionibus.

## C A P V T III.

*Cætus de disciplina & dogmatibus: obiecti à Lunensi obices ne Synodus absolueretur.*

\* Acta Paleotti, & Artis Æliæ, & litteræ Iadrensis 15. Nouembris.

**H**oc apparatu inchoati sunt die decimoquinto Nouembris cætus generales de quatuordecim articulis disciplinæ reparandæ, qui supererant. Et quemadmodum ea quæ necessaria sunt, ob naturæ prouidentiam in rebus omnibus pauca sunt, & festinandi voluntas docet ea distingui à superuacaneis; ea breuitas, prius insueta, fuit adhibita, vt die decimo octauo suam quisque sententiam protulerit. Legatus paucis exposuit studia incassum impensâ ad pertrahendos ad Concilium hæreticos, præstantissimos fructus ab eo productos declaratione dogmatum, & resti-



restitutione disciplinæ: maiora fortasse desiderari posse; sed ipsos esse tandem homines, non Angelos, & pro temporum conditione bonum optimi loco eligendum esse. Deum forsitan, quod executionem rerum decretarum remuneraretur, semitam ad meliora ostensurum. Pauca illa, quæ in præsentia expedienda supererant, tam digesta videri tum priuato studio, tum priuatis colloquijs, vt diuturnâ disputatione publicâ non indigerent. Caput de Principibus reformatum fuisse: decere Patres, vt illos per exempla, potius quàm per pœnas & anathemata, ad pietatem prouocarent. Cùm igitur futurâ Sessione possent omnia confici, id valdè consentaneum rationi Legatis videri. Retulerunt tot Principum in eo consentum, & Germaniæ Galliæque necessitatem, quarum salutem in eo opere Rex Catholicus merè spectauerat. Fructum ad maturitatem peruenisse, adeoque iam colligendum, quo plenas manus singuli Episcopi gestantes, tum illius beneficio, tum ipsorum præsentia solari possent & vnâ curare greges suos post absentiam tam diuturnam.

2. Lotharingus grates egit, quòd primus Præsidentum inter alias rationes commemorasset votum Gallorum, vt Synodus finiretur, cuius rei testes laudauit Episcopos Galliæ, qui illic aderant. Petijt deinde, vt absolutis Decretis, paucos post dies Pontificis Romani confirmatio publicè legeretur, atque vt Episcopis per aliquod post Synodum tempus liceret absolvere ab omnibus peccatis, & relaxare coniugiorum obstacula. Postea tum is, tum alij quædam parum memoratu digna varijs paratis sanctionibus obiecerunt. Præcipuum fuit, vbi dicebatur, debere Episcopos reliquis Optimatibus vbique præire: monuit, id obseruatum iri difficulter vbi Præsules Pontificali veste non essent ornati. Quare Decretum reformatum est.

Cùm etiam ageretur de tollenda prorsus consuetudine Coadiutorum, obstitit ille, affirmans, eâ ratione in Gallia complura monasteria conseruari, nec huiusmodi morem illic vniquam fuisse reprehensum: melius esse statuere, ne illi absque validâ causâ destinerentur. Ipsum verò sepruaginta octo ex Patribus in eo secuti sunt, præter alios, quibus mediæ sententiæ placuerunt.

3. Postea quatuor noua capita sunt proposita: primum, petente Bartholomæo<sup>b</sup> de Martyribus Bracarenfi Archiepiscopo, de moderatione ac frugalitate viuendi, & de distributione prouentuum Ecclesiasticorum, Episcopis præscribenda: secundum, de decimis, quas laici possidebant: tertium, de anathematum moderatione:

<sup>b</sup> Acta Salamanticensis.



1563. quartum, de constituendo archiuo in singulis Ecclesijs, quò publicæ tabulæ inferrentur; quod consilium à Granatensi originem traxerat. Dein verò ad quatuor Decreta, alia duo accesserunt; sed operæ pretium non esset illa referre.

*c In Cœtu  
21. Nouem-  
bris, vt in A-  
ctis Arcis  
Æliæ.*

Præterea viginti duo capita ad Regulares vniuersè reformandos<sup>4</sup> proposita sunt, & alia octo peculiariter ad Sanctimonialia spectantia. In primo ex duobus adiectis ad quatuor Decreta dicebatur, Episcopos prouentuum Ecclesiasticorum dispensatores esse: sed Lotharingus, Guerrerus, & alij admonuerunt<sup>e</sup> vt id remoueretur, ne detrimentum afferret valdè communi sententiæ, quæ docet, verum dominium penes illos esse. Atque huiusce correctionis auctorem fuisse Zambeccarum Antistitem Sulmonensem, narrat Suauis, vt qui semper conatur eos Præsules, quos ipse Pontificios nominat, describere apud vulgus tamquam fautores opinionum laxiorum; nec animaduertit, partem strictiorem, tamen esset eligenda in sanctionibus, non tamen idcirco quidquam amplius habituram, quod spectat ad definitiones, in quibus non coarctatio magis quam laxitas, sed solum firmitudo veritatis querenda est.

Madruccio, Archiepiscopo Hydruntino, & alijs par non esse vi<sup>5</sup> debatur, vt ibi veluti viuendi norma proponeretur Decretum Synodi Carthaginensis; cum perpendendum proponerent, mores illos renouari non posse, nisi pariter illa tempora renouentur; præsertim, verò quosdam Episcopos, qui ditiones obtinent, ac Principes sunt, ægrè posse adigi ad eam viuendi tenuitatem sine decori iactura, & perturbatione ditionum.

E contrario Archiepiscopus Bracarensis, qui claustris sensus retinebat, longè maiorem seueritatem optabat. Quare eò progressus est, vt diceret, id quod intendebatur à Decreto, esse optimum; ipsum autem Decretum pessimum; quandoquidem cum alij manu tam graui pressi fuissent, Episcopi primis digitis tangebantur, ne usurpato quidem erga illos robusto præcepti vocabulo, sed debili admonitionis. Oportere ipsis præscribi conditiones mensæ, supellectilis ac familiæ; eosdemque obstringi ad reddendas sumptus rationes in Concilio prouinciali; quamuis essent domini illius partibus quæ illis necessaria erat, reliquæ tamen meros esse dispensatores.

*d Acta Arcis  
Æliæ in cœ-  
tu 23. No-  
uembri  
1563o*

De Regularibus illustre præconium habuit Lotharingus, restatus, 7 tria Regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse<sup>d</sup>, quòd obedientiam Romano Pontifici debitam abiurare noluisent. Quapropter vt ceterorum Clerico-  
rum



rum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabat, ita eandem in Regularibus admodum à se comprobari; & Patres cohortabatur, vt illorum priuilegia illæsa præstarent. 1563.

8 Terminandæ Synodi studium miris modis vbique feruebat, ad quod Legati perpetuò à Cæsariis extimulabantur, aded vt hi progressi sint <sup>e</sup> ad modeste denuntiandum, nisi opus expediretur, imminere periculum ne ipsi reuocarentur: de quo postea Cæsar certior factus ab Hispano Oratore <sup>f</sup>, eos reprehendit. Iisdem ferè stitumulis vsus est Lusitanus Orator; nec remissiùs Veneti rem urgebant: Lunensis verò indicauerat, quamquam sibi gratius foret responsum Regis priùs præstolari, tamen se minime repugnaturum. Quare Legati messis tempus iam adesse scribebant; cum præter omnem expectationem idem Lunensis vigesimo septimo Nouembris Legatos ad vesperam inuisens, aduersos omnino <sup>g</sup> sensus deprompsit. Dixit, locutum se non ex Regis mandato, cum illud nondum accepisset, nec ex libidine commorandi Tridenti, cum per diurnam à patria absentiam multa infortunia tolerasset, cum rei familiaris, cognatorum ac liberum iactura; sed ex eo, quod animaduvertebat dignitatem Ecclesiæ sui que Principis decere. Plurima commemorauit à Rege gesta, petente Pontifice, ad Concilij emolumentum. Tot laboribus Regis, & vniuersæ Ecclesiæ deberi, vt opus honorifico exitu absolueretur: si, quantum Christianæ Reipublicæ necessitas postulasset, confici non poterat, cum dignitate saltem ac maturitate complenda esse argumenta proposita, tum in legibus tum in dogmatibus, quæ supererant, vnde planè materiam desumpserant recentes hæreses de articulis Purgatorij & Indulgentiarum. Quantumuis Concilij celeritas prodesset, si tamen in altera lance utilitas festinationis quindecim aut viginti dierum poneretur, in altera verò decor & emolumentum examinis accurati, hoc posterius priore longè superius repertum iri. Nollent igitur Præsides per importunam impatientiam, Ecclesiam, Pontificem ac se ipsos fraudare prænobili coronâ, quam tam modici incommodi additamento consequi possent ex tot dispendijs laboribusque iam toleratis, & propter auiditatem fructus ante dies aliquot decerpendi, ed minus gratum, minusque salutarem illum habere, quò est acerbior præ maturo. Hæc à se perpendi quod spectabat ad vniuersos. Quod verò ad Principem suum, tamen si Principes alij de hoc exitu conuenissent, videri sibi Regem Catholicum tam tenuis existimationis ob amplitudinem non esse, nec tam leuiter promereri ob res gestas, vt ad actum tanti ponderis esset deueniendum,

<sup>e</sup> Litteræ Legatorum ad Borrom. 22. Nouembris 1563.  
<sup>f</sup> Litteræ Cæsaris ad Oratores Viennâ 4. Decembris 1563.

<sup>g</sup> Litteræ Legatorum ad Borrom. 27. Nouembris 1563.



1563. niendum, non expectato ipsius responso, infra viginti, & vt summum triginta dies peruenturo. Tum adiecit: Cùm ipse vir esset armorum peritus, qui honoris apices subtilius fortasse metiebatur quàm ij qui rogati, vbi tam æquo postulato repugnaretur, existimaturum se obstrictum ad eam agendi rationem sequendam, quâ sui Principis dignitati tutiùs cautum foret.

Perturbatio, ex improuisa ac molesta nouitate in Legatis coorta, animi præsentiam ad responsum ipsis non ademit. Responderunt igitur: Haud parum se lætari, huiusmodi postulatam profectum à Rege non esse, in quo euentu summi apud se pretij fuisset: cùm enim Philippus Rex præcelsæ potentix monarchiam, & primas in amore Pontificis obtineret, vtriusque tituli causâ à se illi reuerentiam supra reliquos exhiberi. Verùm si præsens ille adesset, sine dubio vellet Concilij finem, ad quem compelleretur à cunctis reliquis Principibus, ob Ecclesiæ ac præsertim Galliæ necessitates, non à Gallis modò ipsis expositas, sed à Granuellano Cardinali, Regis Catholici ministro tam egregio. Ad Regis voluntatem interpretandam satis esse feruida postulata Cæsaris, ad cuius voluntatem Rex commiserat vt ipsius ministri in eo negotio se conformarent. Hic primum Legatum interpellauit Lunensis, dicens, in eo ipsos decipi. Sed alter reposuit, id ex ore ipsius Cæsaris à se auditum in legatione Oenipontana. Idcirco Lunensis sibi temperauit, ne tam sublimi testimonio aduersaretur; sed in reliquo colloquio perinde locutus est, ac si aduersaretur. In summa denuntiavit, se neruis omnibus obstiturum, non quidem festinationi neque absolutæ terminationi Concilij (& ita quæ priùs significarat, illa se seruabat) sed tantummodò cuidam formæ illius terminandi, aded acceleratæ, vt antea responsum regium non expectaretur; quippe quod sibi absurdissimum videbatur, agi cum Rege suo tam celso, quasi cum tenui dynasta. Et quoniam Legati opposuerunt, à se adeò festinari, ne Synodus, quæ fuerat incepta Oecumenica, in peculiarem desineret, multarum nationum discessu; subiicit Lunensis, eam festinationem non cursum esse, sed fugam: id fieri, quod Galli haberentur, sed neque Gallos neque Hispanos habitum iri. Hinc Legati indignatione succensi, exprobrarunt, id mereri vt non à Deo solum, sed ab ipso Rege seuerè puniretur, tamquam res hæreticis conducibilis, supra quascumque quispiam illorum procurator efficere potuisset. Tum Lunensis ad aliam defensionem confugit, dicens, Eam esse meram festinationem Lotharingi, cupientis discedere, ad Iustrandum Baptismate Ducis fratris filium, recenter natum; sed sibi compertum esse,



esse, Lotharingo abeunte iniunctum esse Gallis Oratoribus vt redirent, quorum præsentia longè maioris erat momenti, quàm Cardinalis, qui regia mandata non habebat; quin ab eodem Cardinali operam suam antea oblatam fuisse, quò Regis Catholici responsum expectaretur. Quæ omnia nullo nixa fundamento Legati postea reperere: sed voluntas, animi affectionibus commota, in causa est, vt homo interdum narret quidem falsum absque fundamento, non tamen mentiatur. Absolutum est colloquium vtrisque in sua sententia persistentibus. Neque consenserunt Legati, vt Oratore ad Pontificem scribente, responsum opperirentur; cum ipsis haud par esse videretur, illum palàm conijci inter eas tricas, neque se ipsos præpediri, ne exequerentur, vbi possent, iussione quam ab eo acceperant, accelerandæ Sessionis ante diem nonum, adeoque eo tempore, quo nouum illius mandatum haud peruenisset: sed cum animaduernerent pariter, eam celeritatem sibi minimè processuram, cursorem tabellarium Romam miserunt, quò Pontifici, id quod acciderat edocto, liceret pro suo arbitratu iussa variare. Interim & Lotharingus & Cæsariani animum præ se gerebant auersum à Lunensis obstaculo, & tum hi tum Lusitanus polliciti sunt suarum apud Hispanum cohortationum opem. Ita procedebatur incerto gradu inter vires contrarias acuti calcaris & duri fræni. Tota inuitabilis difficultas tum in Natura tum in Politica ex eo nascitur, quòd inter duas oppositas validasque potentias agendum est; adeoque dum alteri obsecundamus, necesse sit vt alteri repugnemus.

## CAPVT IV.

*Cætus habitus ad Synodum absoluendam, & susceptum consilium non omittendi dogmatis de Purgatorio, & Cultu Sanctorum, ac de Imaginibus. Conuentus à Lunensi coactus Præsulum Hispaniæ Regi subiectorum, vt Synodi conclusioni obfisteretur. Quæ Lotharingus cum Rege Galliæ egerit de Concilio, & illius responsa. Nuntij de periculoso Pontificis morbo ad Lunensem, & postea ad Legatos delati, & studia ab illis impensa ad opus finiendum. Generalis Congregatio secundo Decembris.*

**L**egati in proposito persistentes, cæterum rursus<sup>a</sup> coëgerunt, conflatum duobus Cardinalibus, & quàm plurimis ac præcipuis Patribus; & expositâ denuò absoluendæ Synodi necessitate, ab illis consilium & opem petiere. Lotharingus dixit, se ac-

Pars III.

K k k k

cerfiri

<sup>a</sup> Litteræ Legat. ad Borrom. 29. Nouembris, & Acta Paleotti & Salmanticensis,